



Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

433. Ut si Presbyter defunctus fuerit, vicinus Presbyter apud seniorem
secularem nequaquam Ecclesiam obtineat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

376 R E G I N O N I S L I B . II.
rit , quem reconciliari necesse sit , & sine con-
ventu Presbyterorum & ceterorum esse non
possit , post peracta illa quæ Dei sunt & Chri-
stianæ religioni conveniunt , & post debitas
admonitiones , si contigerit ut veræ caritatis
& fraternaliæ invicem consolationis omnes ad
refectionem convenient , sic talia fieri permit-
timus , ut servata modestia & temperantia &
sobrietate pacisque concordia , sicut decet fra-
tres , omnia in ædificationem fraternitatis &
laudem & gloriam Dei & gratiarum actiones
fiant. Et hoc omnino caveatur quod Salvator
ait : *Videte ne graventur corda vestra in crapula*
& ebrietate. Qui voluerint , eulogias à Pres-
bytero accipient ; & panem tantum frangen-
tes , singuli singulos biberes accipient , & ni-
hil amplius contingere præsumant. Et sic
unusquisque ad sua cum benedictione Domini
redeat.

Ut si Presbyter defunctus fuerit , vicinus
Presbyter apud seniorem secularem ne-
quaquam Ecclesiam obtineat. Ex eodem.

CCCCXXXIII. Ut si quilibet Pres-
byterorum defunctus fuerit , vicinus Presbyter
apud secularem seniorem nulla precatione vel
aliquo xenio Ecclesiam illam obtineat , quia
titulus per se constans antea extitit , sed neque
Capellam , sine consultu Episcopi. Quod si fe-
cerit , definitam sententiam sibi prolatam sus-
cipiat , sicuti de Episcopo canonica decrevit
auctoritas , ut qui per ambitionem majorem
civitatem appetierit , & illam perdat quam te-

Concil. Nan-
net. c. 16.
Hincmar. Ca-
pitula tit. 2.
c. 17.
Burchard. lib.
3. c. 229.

Decreta Leon.
I. c. 38.

De liquore in quo mus ceciderit.

Ex Pœnitentiali.

CCCCXXIV. Mus si ceciderit in li-
quorem, tollatur inde, & aspergatur aqua be-
nedicta, & sumatur. Si verò mortua fuerit in-
venta, abiciatur totus ille liquor. Quòd si mul-
tum est de liquore, purgetur ille liquor, & as-
pergatur aqua sancta, & sumatur, si necesse
est. Si in farina aut in lacte coagulato aut in
melle mus mortua invenitur, quod in circuitu
ejus est foras proiciatur, reliquum sumatur.

Si quis sepulcrum violaverit & cetera,

Vt suprà.

CCCCXXV. Si quis sepulcrum vio-
laverit, septem annos pœniteat, tres in pane
& aqua.

Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile
est, tres annos pœniteat, unum ex his in pane
& aqua.

Si quis manducaverit morticinum aut ido-
lis immolatum, jejunet hebdomadas duode-
cim.

Si quis quodlibet membrum sibi volunta-
riè truncaverit, tres annos pœniteat, unum ex
his in pane & aqua.

Si quis usuras undecunque exegerit, simi-
liter pœniteat.

Si quis per violentiam aut quolibet ingenio
malo ordine res alienas invaserit aut tulerit, si-
militer pœniteat.